





8949

Q V A E S T I O

I V R I S C O N T R O V E R S I

A N

C O N T V M A C I A

N O N C O M P A R E N T I S F A C I A T

V T A P R A E V E N T I O N E C I T A T I O N E

E X O R T A P O S S I T R E C E D I

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E X X I X. I V N I I A N N O <sup>C I S I O C C L X X V .</sup>

D E F E N D E T

A V G V S T V S F R I D E R I C V S R I C H T E R

T A V T O W A L D E N S.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

1775,29.







AN  
C O N T V M A C I A  
NON COMPARENTIS FACIAT  
VT A PRAEVENTIONE CITATIONE  
EXORTA POSSIT RECEDI

---

§. I.

Sicuti in causis coram iudice tractandis maxime respiciendum est ad iudicis competentiam, ut quicquid vel ad iudicem incompetentem deferratur, vel ab eodem incompetente peragatur, antequam prorogatione interueniente competens factus sit, nullum producat effectum; ita in competentia iudicis facile dubitatio quaedam exoriri potest, si contingat, ut reus conueniens duplici foro gaudeat. Habet tunc actor electionem, ut causam ad eum deferat, quam ex rei competentibus iudicibus sibi eligendum censeat. Quodsi ergo sibi ele-

A 2

gerit



gerit actor iudicem atque libellum obtulerit, oriri potest praeuentonis ius, quod in eo consistit, ut coram eo causa simul delata tractanda sit, quamvis et alius index adsit, coram quo eadem controversia recte tractari posset. Excluditur ergo praeuentione alterius iudicis ius cognoscendi causam, in qua alter iudex nihil poterit peragere, nisi eius, cui ex praeuentione ius exortum est, turbata iurisdictione. Adserunt inde Pragmatici teste MENCKENI*o* in *Theor. et Prax. Pandet. L. II. T. IV. §. XIV.* pendente praeuentione nihil esse innovandum adductis ex Pontificum Iuribus compilatis variis capitibus, quibus hanc defendunt opinionem. Sic ut vero iudici ius facit, ut ad eum cause cognitio atque decisio pertineat; ita et reo praeuentione existente nullum ius competere potest prouocandi ad alterum iudicem, utrumque enim iudex competens est, reoque perinde esse debet, utrum coram hoc, an altero conueniantur.

### §. II.

An vero actori ius competit, si oblatione libelli iudicem elegerit, ab eodem reddendi atque ad alterum aequem competentem deferendi. Distinctio quedam videtur adhibenda. Vtrum scilicet iudex iam citationes emiserit nec ne. Si nondum emissae sunt citationes, nullum esse videtur dubium, posse adhuc actorem reuocato coram iudice libello variare atque ad alterum deferre iudicem aequem competentem causam suam. Cum enim nullum adhuc suae iurisdictionis actum peregit iudex, non videtur sibi sola libelli oblatione ex praeuentione ius consecutus esse. At vero si iam emisit citationem iudex, an tunc possit actor recedere causamque ad alterum deferre competentem iudicem, dubitari potest. Si liti et cause renunciare velit, omnino recipere libellum poterit actor, an vero ea quoque intentione, ut coram

❧      ❧      ❧      5

coram altero iudice causam peroraturus sit suam? Sane si praeuentonis ius exortum, verosimile mihi videtur, neque iudicem, neque reum hoc ferre debere. Quod enim ad iudicem pertinet, obtinuit sane consensu interposito ex libelli oblatione et acceptione sua emissaque citatione ius perfectum cognoscendi coramque suo tribunal tractandi causam. Quo iure litigaturus actor hoc iudici quaesitum ius eripiat? Aut enim obtinuit ius, ex praeuentione hinc eo laedendus non est iure; aut si negamus, obtinuisse iudicem ex praeuentione ius, eo adfirmamus simul, praeuentionem inter non entia referendum esse, quod tamen nolle. Concludo ergo hac specie, a iudice semel electo recedi non posse. Neque reus, qui iam citatus est, ferre debet, ut actor iudicem mutet existente praeuentione. Cum enim semel actor elegerit iudicem ex rei competentibus, reusque ab eo acceperit citationem, quam non possit super habere cuique parendum est; sequimur, reum quoque rite facta insinuatione citationis a competente iudice obtinuisse perfectum ius a citante iudice expectandi iudicium. Quodsi autem verum est, nemini ius suum perfectum eripi posse, quo iure, quaero, a praeuentione recedat actor, alterumque iudicem eligat contra iudicis et rei iura quesita. Neque obstat, quod nondum lis contestata. Hie enim incompetenti iudici ius iudicandi tribuit, non autem in competente necessaria est obseruatu, quippe cui iam ius competit, quod sit competens.

### §. III.

Iam vero ex his facile patebit, quid sentiendum videatur, praeuentione existente citatis partibus, an si actor in termino non compareat, reus vero contumaciam ipsius accuset, an tunc liceat actori ad alterum aequem competentem actionem suam transferre. Forsan videtur defendi posse  
haec



haec sententia distinctione facta, pro ut ex iure contumacia actoris accusata. Quod si enim eo tendat contumaciae accusatio, vt reus ab instantia liberetur, restitutis impensis, nec ut actori liceat continuare nouiter instituta actione litem, nisi prius praefixa de prosequenda lite cautione; posset libera-  
tio ab instantia, cum oblatu primum libellus omni effectu  
destituantur, causam continere, vt putemus ius ex piaeuen-  
tione simul amisisse iudicem, vt ergo recedendo ab eodem  
laedi posse haud videatur altero electo iudice aequa com-  
petente. Sed salua viderur res. Cum enim iudicium acce-  
pit reus, actorisque accusauit contumaciam, facile patet  
expensarum per hunc iudicem petendarum potestatem ob-  
tinuisse reum, imo cautionem de prosequenda lite ex iudi-  
cato ad contumaciam accusatam exigere reo licere. Iam si  
variatio licita, quo iure alter iudex contra actorem contu-  
macem progredi posset, vt damnaret ad solutionem expen-  
sarum, cum contra eundem inobedientiam non commiserit,  
et quo iure exigat coram altero cautionem de prosequenda  
lite, quin apud eum antea nulla actio instituta fuerat, et  
quid remoretur iudicem, quo minus citationes emittat ob-  
seruato prius rei iure, hanc cautionem exigendi. Non vi-  
dentur itaque et iudicis et rei iura permittere, vt, licet non  
comparuerit actor, paeuentio cesset. Quodsi vero actor  
saltem eo sit contumax ex iure, vt condemnetur in expen-  
fas atque citandus sub praeiudicio, vt vocant, amittendi sui  
agendi iuris? Facile patet, eo minus variare actorem posse quip-  
pe alter iudex sub praeiudicio actorem citare non posset  
amittendae actionis, quo ipso reus detrimentum pateretur in  
suo iure perfecto, cui tamenius, quod ipsi in actorem com-  
petit, eripi nequit.

§. IV.

§. IV.

Quae cum ita sint, decidi poterit facilius proposita nostra quaestio, an reo contumace liceat ad alterum aequem competentem transire. Posset quidem suo quem obtinuit contra reum ex eius contumacia fauori renunciare actor, ni iudicis ex praeventione quaesitum ius detrimentum pateretur. At quis actor, si reus citatus haud comparuit, tam stultus esset, vt maller a priori recedere iudice atque ad alterum transire aequem competentem, quam vt contumacem potius reum accusaret, atque quem habere poterat confessum conuictumque, relicto priori iudice a contumacia poena liberare. Patet exinde, licet contumax sit reus, si semel praeventio existat vel ob iudicis ius quaesitum per emissam rite que partibus insinuatam citationem, vel ob ipsius actoris perfectam utilitatem, qui ex contumacia rei in lite vincit, a priori iudice recedi et ad alterum aequem competentem accedi haud posse.

§. V.

Tandem superest, vt adhuc quaeramus, quid juris, si vtraque pars et actor et reus circunduxerint terminum, an a priori iudice recedere et variare actor possit, vt praeventio amplius non seruetur **BOEPMERVS** in *Introduct. in Ius Digest. L. II. Tit. IV. §. 18.* et alii adffirmant, cessare praeventionem ob terminum circumductum. Prouocant, vt probent ad *L. 73. §. 1. 2. ff. de iudic.* Scripscrat **VLPIANVS:** *Quod si is, qui editum peremptorium impetravit, ab sit die cognitionis: is vero, aduersus quem impetratum est, ad sit, tum circumducendum erit editum peremptorium, neque causa cognoscetur, nec secundum praesentem pronunciabitur.* Circumducto editio videamus, an amplius reus conueniri possit: an vero salua quidem lis est, verum instantia tantum editi perierit, et magis est, ut instantia tantum perierit, ex integro autem litigari possit. Sed quis

non



non videt, hanc legem tantum agere de poena contumaciae actoris seu illius, qui edictum peremtorium impetraverat, quo edicto ab impetrante circumducto nihil in causa decidendum videbatur. Sed ab instantia praesens liberabatur, salvo de caetero impetrantibus iure. Quid haec ad praeventionem? Licet enim ab instantia liberetur is, contra quem edictum impetratum, tamen exinde non sequitur cum ex integrō litigari debet, ergo cessare ius praeventionis. Nam de nouo eidem iudici prius electo offerri potest noua actio. Hinc lex nihil probat. Ita nec grauior est probatio petenda ex Constitutione IVSTINIANI in L. 13. §. 2. C. de iudic. quippe nec hac lege de circumducto termino in eum finem, ut praeuentio vim suam amittat, agitur. Quapropter vel ob iudicis ius iam ex emissā citatione quaesitum, vel ob electionem ab auctore iam factam, putem praeventionem non cessare, licet circumductus terminus sit, imo vel auctor, vel reus contumaciam commiserit.




(leipzig) Diss., 1775 A(1)



Sb

KD18





QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

AN

**C O N T V M A C I A**  
**NON COMPARENTIS FACIAT**  
**VT A PRAEVENTIONE CITATIONE**  
**EXORTA POSSIT RECEDI**

Q V A M

# ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

# D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GÉNT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O

# IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XXIX. IUNII ANNO CICCGCLXXV.

## DEFENDENT

# AVGVSTVS FRIDERICVS RICHTER

## TAVTOWALDENS

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.